



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 454. Quæ veniant in hypotheca tacita legali, seu in quibus ea constituatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

capitulum in locum demortuorum. Muller *l. c.* Lauterb. *l. c.* §. 28. Nec interest, si dicta renovatio seu subrogatio facta ex fetu priorum capitulum, siue aliunde. Quamvis quæ nascuntur ex prioribus capitibus, non tam jure renovationis quam accessionis obligentur in speciali hypotheca, ut Lauterb. de quo paulò post. Sic in taberna, dum hæc oppignorat, simul merces omnes generaliter obligatæ censentur; non tamen præcisè illæ, quæ tempore oppignorationis erant in ea, sed & illæ, quæ illis distractis substitutæ deinceps sunt, & in ea tempore mortis debitoris, vel dum pignus persequitur creditor, reperiuntur in ea; cum eadem sit taberna & tabernæ hypotheca, licet merces mutatae sint, *l. 122. §. 1. ff. de V. O.* & contrahentes in constitutione tabernæ pro hypotheca ad hanc assiduam mercium commutationem respexisse videantur. Bachov. *de pign. l. 2. c. 5. n. 2. §. 3.* Lauterb. *l. c.* & DD. *ad legem penult. ff. h. t.* Num verò veniat nomine immobilium, dum in iis tantum constituitur talis hypotheca, vide apud Bachov. *de pignor. l. 1. c. 6. n. 5.* & Merlin. *l. c. quest. 49.* ad quos remittit Lauterb.

2. Resp. secundò: In hypotheca magis strictè speciali veniunt etiam res, quæ rationem pertinentiæ & accessionis habent, ita ut ejus partem faciant. Lauterb. *ad ff. de pignor. §. 30.* Hinc dum oppignorat mancipium, non oppignorat peculium illius, utpote quod est quid separatum ab eo, dependens à libera voluntate domini, *l. 1. §. 1. ff. h. t.* E contra, dum oppignorat prædium, videntur simul oppignorari mancipia illi adscripta; cum sint veluti pars illius; vide Lauterb. *cit. §. 30. in fin.* Sic oppignorato à domino proprietatis fundo, accedens quoque postmodum usufructus oppignoratus censetur, *l. 18. §. 1. de pignor. act. Balduin. tr. de pignor. c. 10.* Mull. *l. c. lit. e.* Non verò è contra dum oppignorato usufructu, accedit proprietatis, hæc quoque oppignorata censetur, cum proprietatis sit res principalis, non accessoria. Bachov. *l. c. c. 10. n. 1.* Lauterb. *§. 31.* Sic quæ dein per alluvionem accedunt fundo oppignorato, oppignorata quoque sunt. Lauterb. *ibid.* Muller. *l. c. lit. d.* quia quod taliter fundo adjicitur, pars ejus esse censetur, §. 20. *Inst. de rer. divis.* Non verò si debitor emeret vel alio modo acquireret fundi ex parte oppignorati alteram partem non oppignoratam, hæc ipso oppignorata censetur. Lauterb. *cit. §. 31. in fin.* cum Bachov. *l. c.* eò quòd, ut idem, pars illa emptæ non sit pars partis obligatæ, sed totius, quod non est obligatum.

3. Resp. tertio: In tali speciali hypotheca comprehenduntur quoque ea, quæ ex re specialiter obligata nascuntur ob conjunctionem & consequentiam, quæ suum principale consequuntur, etsi eorum nulla facta est mentio, v. g. fructus *l. 3. C. in quib. caus. pign. tacit. l. 26. §. ult. l. 29. §. 1. ff. de pign.* Muller. *l. c. lit. c.* Lauterb. *ad ff. h. t. §. 32.* non tantum pendentes tempore conventionis, sed & futuri. Lauterb. *l. c.* remittens ad Merlin. *loc. cit. l. 2. qu. 13. à n. 1.* & Bachov. *tr. eod. l. 2. c. 11. n. 2.* ubi etiam ait, se putare, fructus oppignoratos non adeo affici, quò minus iis ad necessitatem familiæ rectè & liberè uti possit debitor oppignoratis. Quibus etiam bona fide consumptis, aut in aliam speciem irreducibilem commutatis, extinguitur illorum hypotheca. Lauterb. *cit. §. 22. in fin.* remittens ad *l. 18. §. 1. ff. de pignor. act.* & Merlin. *l. 2. q. 53. à n. 22. & à n. 41.* Proceduntque hæc non tantum de fructibus naturalibus, sed etiam de industrialibus. Lauterb. *l. c.* cum Merlin. *l. c. à n. 30.* contra Negufant. *de pign. p. 2. memb. 2. n. 27.* Idque tam in

hypotheca expressa quam tacita propter identitatem rationis. Merlin. *l. c. n. 8.* Nexu tamen pignoris non tenebuntur hi fructus, si à tertio, v. g. emptore facti, & apud eundem esse ceperunt; quia jam dominium illorum mutatum. Merlin. *l. c. qu. 53. à n. 28.* Lauterb. *l. c. juxta l. 29. §. 1. ff. h. t.* Quod dictum de fructibus, idem dicendum de fetu pecoris & partu ancillæ verè talis seu propriè mancipii, modò conceptus apud debitorem ejusve hæredem, etsi apud tertium natus, *cit. l. 29. junctà l. 18. §. 2. ff. de pignor. act.* Lauterb. *l. c.* Mull. *cit. lit. c.* Secus enim est de natis ab iis, qui redempti ab hostibus, interim, dum pretium restituatur, loco pignoris redemptori obligati, *l. 8. c. de postlimin. revers.* Bachov. *de pignor. l. 2. c. 10. n. 2.* Lauterb.

Quest. 454. Quenam veniant in hypotheca tacita, seu legali, siue in quibus ea constituitur?

R Esp. in genere: Constitui ea potest, & quandoque constituitur in omnibus alicujus bonis juxta *l. 1. C. h. t. l. 6. §. 2. ff. eod.* quandoque in una re, aut etiam in pluribus singularibus, pro ut hæc hypotheca dividitur in generalem & specialem juxta dicta supra. In quibus verò rebus in specie respectu diversarum personarum constituitur, totus est de hoc titulus *ff. ex quibus caus. pign. vel hypoth. tacit. constit.* & dicitur commodius & explicatius, ubi quibus constituitur hæc hypotheca. Illud hic notandum, quòd, cum hæc hypotheca essentialiter à benevolâ legislatoris voluntate concepta ob singularem debiti & creditoris favorem dependeat, ea tacitè & præsumptivè extendenda non sit ultra illa, in quibus ea constituitur, & ultra personas, pro quibus constituitur per leges, & sic non inducendæ aliæ hypothecæ tacitæ; cum, quod jure singulari & per privilegium in certis tantum casibus concessum, ad alios casus non sit extendendum juxta *l. 14. §. 15. ff. de LL.* vide Lauterb. *ad ff. in quibus causis pignus. §. 4.*

Quest. 455. Qualiter pignus constituitur?

1. R Esp. primò: Hypotheca legalis constituitur lege universali, provinciali statutaria, quin & consuetudine juxta dicta supra, ubi de divisione pignoris. Secundò pignus prætorium jussu & auctoritate Magistratûs per immisionem in possessionem, vel per pignorum captionem. Tertio pignus privatum testamentarium constituitur ultima voluntate testatoris, non tantum testamento, sed etiam codicillis. Vinnius *ad §. Inst. de codicill.* Lauterb. *ad ff. de pignor. §. 39.* dum nimirum is, ut legatariis magis cautum sit, se ipsum quasi debitorem facit, ut Struv. *h. t. tb. 6. lit. v.* res suas reliquas pro pignore constituendo, ut Muller. *ad Struv. ibidem.* cum in rebus hæredis hypothecam constituere non possit, ut Mudæus *de pign. ad l. 1. ff. de pignor. n. 9.* quam dein hypothecam hæres adeundo hereditatem ratam habet & confirmat, ut cum Merlin. *de pignor. l. 2. tit. 1. qu. 16.* & Bachov. *tr. eod. l. 1. c. 7. in fine.* Lauterb. *cit. §. 39.* Quartò conventionalis hypotheca constituitur vel per contractum pignoratitium, nimirum quando de pignore dando nominatim convenitur inter creditorem & debitorem, (siue id fiat verbis inter præsentem, siue literis inter absentes, ut Neguf. *de pignor. p. 3. memb. 1.* Muller. *l. c. lit. d.*) & per traditionem rei possessio in creditorem transfertur; & sic per talem contractum reale constituitur jus in re. Ex quo jure demum immediate nascitur actio pignoratitia. Muller. *loc. cit. lit. e.* Lauterb. *loc. cit. §. 40.* vel constituitur per